







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

SCROFULIS

QUAM

ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS

CONSENSU

PRO LICENTIA

GRADUM DOCTORIS

OBTINENDI

TUEBITUR

D. X. OCTOBRIS MDCCLXXXIX.

JOHANNES FRIDERICUS KOBELT

ARGENTINENSIS

H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI,

Typis LORENZII & SCHULERI, Direct. Nobil. Typogr.,









PARENTI  
OPTIMO  
SACRUM.











SIGNA PATHOGNOMONICA  
MORBI.

**S**CROFULIS 1) laborare hominem dici-  
mus, cujus glandulæ conglobatæ colli,  
maxillarum, axillarum, mammarum, &  
mesenterii tumentes atque induratæ ab-

1) *Nomen* scrofulæ, a scrofa, probabili argumen-  
to, unde etiam a *χοιράδες*, scrofa; *χοιράδες* Græcis au-  
diunt; cum in suis similes at natura diversi (cum  
sint vermes vesiculares) tumores observentur. Sed is  
morbus aliis i. e. HIPPOCRATI & GALENO etiam au-  
dit *ἀδενί* & *βυσσανί*, latinis nunc scrofulæ, nunc *tu-  
bercula colli*, nunc excrementiæ ac *extuberantiae*  
*colli*, nunc *Bronchocele spuria*, nunc *hydropes*  
*colli*. Gallis *les écrouelles*, *les scrofules*, *le mal*  
*du Roi*, uti Anglis *the Kings-evil*, ac si regio  
attactu religiose sanari possent. Germanis *Scrofeln*,  
*Wachsdriisen* v. *Knollen*, *Drusengeschwülste*, eæ  
quæ colla infantum cingunt *Hagknopfen* vocantur.

A






que dolore, pertinaciter sunt; (minus tamen quam in scirrho, ut sic ab eo differant); labiis, ut plurimum superiore, crassioribus subinde fissis; naso tumido, rubro, dolente, multo muco referto; oculis lacrimantibus, lema obsessis; genis latis; abdomine turgido atque extremitatibus macilentis. Hisce signis praesentibus, facile scrofulosum dignosces; licet non semper haec imago omnibus suis partibus expleta sit: & alia peiora symptomata in summo morbi gradu illam adhuc magis perficiant.

Malum hoc infantes, omnis ceterum aetatis, atque conditionis, divites ac pauperes, sanos ac aegros invadit, praecipue tamen laxiores, capillis flavis, oculis caeruleis, facie miti & rubella, illisque in locis maxime scenam suam ludunt, ubi plurimi infantes degunt, qui rudioribus aluntur cibis, quique aërem incarcerationatum hauriunt. Pubertatis tempore plerumque sponte, nulla praecedente crisi evidentiore in sexu potiori evanescit, uti & in sequiori, quum flu-





xus menftruus apparet. Adulti non plane immunes ab eo remanent, & potiffimum illi magis infefantur, qui loca paludofa, humida, inhabitant, & male nutriuntur. Certis quoque regionibus endemiæ funt fcrofulæ; fic monticolæ, illis valde obnoxios efle notum eft: In Anglia & Gallia magis quam in ullo alio regno occurrere afleverat HUNCZOWSKY 2)

### HISTORIA MORBI.

Prima labis figna in glandulis conglomeratis colli atque maxillarium plerumque feffe manifeflare folent, idque forfan ideo, quoniam in fubjectis junioribus appulfus humorum verfus fuperiora magis obtinet quam in ætate provectis, unde & in his vitium fcrofulofum potius mefenterii glandulas petere obfervamus. Iftæ tanquam globuli molles, elaflici fub cute menti circa angulum maxillæ inferioris ufque ad aures percipiuntur, mobiles, indolentes, decolores,

2) Medicinifch-Chirurgifche Beobachtungen. Wien 1783. 8vo.





4                      ◊    ◊    ◊

& id per plures annos; majores dein erumpunt tumores, & exulcerantur, præprimis vere. Ast in majore morbi gradu, artuum articulos petit vitium, ibique tumores molles, indolentes, cuti concolores format, motum impediētes, qui tandem paulatim rubere incipiunt & purpureo colore splendere; successu temporum tantum mollior fit tumor & fluctuans, & per poros statim, tandemque per fissam cutim fundit humiditatem, verum pus non referentem, sed ichorem viscidulum caseosum pessime sæpe olentem; hæc sensim in ulcera abeunt, quorum labia lævia sunt, inæqualia, non callosa; eæ non facile nec clauduntur, nec serpunt, sed his tetra cicatrice dura rubra ac quasi serpente clausis, aliæ erumpunt. Sic per annos protrahitur morbus, quibus tandem elapsis quatuor vel quinque vel & pluribus sponte cessat, remanentibus cicatricibus fœdis, rugosis, nulla arte destruendis; aut si articulatio laboraverit, ancylosis remanet. En itaque consuetum morbi decursum. Pejoris tamen no-



❖   ○   ❖   ❖

tæ scrofulæ majore copia erumpunt, acriorem condentes materiem, quæ viciniam corrodendo eam consumit, & resorpta morbum expandit; ad oculos enim lata, palpebras infestat & corneam exulcerat, atque sic ophthalmiam scrofulosam ingenerat, quam graphice descripsit BISSET 3). Distorquet ac erodit ligamenta & articulos ancyloses & spinam ventosam inducit. Ad pulmones delata asthmata, tusses, ulcera ac phthisin scrofulosam producit cum tussi sicca, dein purulenta, ichorosa, febre lenta & sudore matutino; ad glandulas mesenterii, atrophiam gignet glandularem RUSSELLII 4), febrem lentam, multaque alia pessima symptomata, quæ morbum immedicabilem reddunt, ac tandem lethalem.

### DIVISIO SCROFULARUM.

Pro loci itaque diversitate, quem scrophulæ occupant, vel earum malignitate,

3) in *Medical essays and observ.* p. 119.

4) de Tabæ glandulari & usu aquæ marinæ in morbis glandularum London 1750.





vel pro earum causis, autores nosologi methodici illas in plurimas diviserunt species: optime tamen distingui videntur, in *veras* ac *larvatas*: *verarum* prima ac *vulgatissima* species sub *tumorum frigidorum* nomine fatis nota est. *Externas* partes hæ afficiunt, atque tumores simplices, a volumine pisi ac id castaneæ referunt, pertinentes tamen, duri ac indolentes; hæ nunc sunt solitariæ, nunc cohærentes, adeo ut & omnem maxillam inferiorem cingant, cutis colore ceterum naturali non alterata, ni inflammetur. Præter collum & sub maxillis deprehenduntur quoque sub axillis, in inguinibus & in mesenterio. Hæ quum oboriuntur, præcordia ac abdomen antea turgida detumescunt. Altera *verarum* species *mesentericarum* apud Gallos *la Charitre* nomen fortita est. *Internas* partes & præcipue mesenterium hæ occupant. Has prodit abdomen inæqualiter tumens, faciei pallor, appetitus prostratus, excrementorum foetor, artus macilenti, alvus irregularis, febricula frequens, caro flaccida, dentes mali, dolores vagi artuum





ac efflorescentiæ cutaneæ. Attamen hæc signa non sufficiunt ad probandam scrofularum internarum præsentiam, ni & alia accedant externa, quæ nos certiores reddant. *Larvatas* vocant scrofulas, ubi vitium sub alius morbi specie sese prodit cujus tunc natura difficillime dignoscitur. Sic ophthalmiam, crustam lacteam, tumorem labii superioris, herpetem, atrophiam phthysin, achores ac tineam maligne generat. Huic scrofularum divisioni, alias præterea species addunt, quæ tamen me saltem judice, minus bene huc referuntur. Unam harum *fugacis* 5) nomine insigniverunt, quæ tantum tumores simplices in collo infantum format, tabi ulcerosæ, tæniæ campitis præcedentes: quam itaque valde proprie scrofulis annumerantur. Aliam *Americanam cum frambæsia*, id est fungis, conjunctam vocant, qui mororum vel rubi idæi fructus referunt in variis corporis partibus. His insuper addunt *Periodicas*, v. Journ. de Med. an. 1758. p. 38.

5) SAUVAGES Nosol. method. Tom. III. p. 11. *Class.*  
X. Gen. XIX. sp. 2.







& 317. quas tanquam tumores carnosos, dolentes, rubros à magnitudine pisi ad eam nucis juglandis, corpus hinc inde obsidentes nullam suppurationem post se ducentes, atque mercurio sanandas nobis definiunt. *Moluccanam* denique, quæ *frambœsia* esse videtur; duros ac scirrhosos tumores hæc parit, brachia, femora & faciem obsidentes, quæ tophos venereos referunt, minus tamen dolentes, nec ossa carie afficientes, quæque ubi exulcerantur, materiem fundunt viscosam & acrem, ulcera profunda cum labiis collofis facientem.

#### CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

*Prædisponentes* scrofularum causæ eadem esse videntur ac rachitidis, adeo ut sæpissime huic junctæ sint, vel ei accedant. Primaria autem jure censetur hereditaria quædam corporis dispositio, non in fluidis tantum sed etiam in solidis ejus partibus latens, neque enim si partes solidas a culpa infontes esse opineris, intelligi poterit, qui fiat, ut morbus per longum sæ-



pe tempus lateat; huic vero causæ aliæ præ-  
 terea addendæ sunt, ætas infantilis, tempe-  
 ramentum sanguineum & phlegmaticum,  
 glutinosa humorum intemperies, solido-  
 rum laxitas, nimia systematis nervosi fen-  
 silitas, corporis, imprimis systematis lym-  
 phatici debilitas; præterea vermes intesti-  
 nales, quos plerosque scrofulosos alere ex-  
 perientia satis superque edocuit, corpus  
 scrofulis obnoxium reddere, vero non  
 dissimile videtur, quum illi & digestio-  
 nis vires lædant, & pituitam præsuppo-  
 nant & acrimoniam, lymphaticis vasis  
 infensam, progignant: fieri contra quo-  
 que potest, ut morbum scrofulosum ver-  
 mium in intestinis accumulatio sequatur,  
 quoniam ut plurimum corpus hominis  
 scrofulosi laxius, magnaque pituitæ co-  
 pia repletum est. Ceterum sæpissime  
 fieri puto, ut & antecedentes & præsen-  
 tes morbi scrofularum causæ prædispo-  
 nentes evadere possint; hucque potissi-  
 mum pertinent rachitis, arthritis, lues  
 venerea, variolæ male tractatæ, mor-  
 billi, febris scarlatina, tussis convulsiva.

ofos,  
 i ad  
 inde  
 st se  
 no-  
 que,  
 ac  
 hia,  
 phos  
 len-  
 que  
 t vi-  
 cum

ea-  
 o ut  
 cce-  
 he-  
 non  
 ejus  
 soli-  
 elligi  
 n sæ-







## CAUSÆ OCCASIONALES.

Præter hæc prædisponentes causas plurimæ à medicis indicantur occasionales, quæ scrofulis generandis favent, hucque potissimum referuntur aër humidus, frigidus, particulis putridis scatens, cœlique natura instabilis & varia. Hinc quare morbus iste in locis depressis sit crebrior quam in elatoribus, quare incolas regionum paludosarum inprimis invadere soleat, quare plerumque vere & autumnò oriatur, probe intelligimus. Hinc etiam istam aëris intemperiem scrofulosos ægerrime ferre experientia edocet. Multo autem sæpius quam aër, victus perversa ratio, ac vita deses, sedentaria morbum de quo sermo est, efficit. Nocent præcipue voracitas, usus alimentorum rudiorum, pravæque indolis, farinaceorum, caseosorum, dulcium, forsân quoque abusus alimentorum vegetabilium eorumque præcipue acidorum, potuum calidorum & spirituosorum. Unde morbum huncce plebejis hominibus ac paupe-





ribus vulgarem magis, attamen nec nobilibus atque opulentis parcere, non est quod miremur. Aquæ minus ac id quod multis in orphano & brephotrophiis endemicius quasi sit.

Jure etiam referuntur ad causas scrofularum occasionales somnus nimis protractus, animi affectiones ingratae, aquæ putridæ, limosæ, tophacæ, lac corruptum, acidum, motus inopia, morbi cutanei retropulsi atque refrigerium; purgantia sæpius justo repetita, unde humorum affluxus augetur, quæ SYDENHAM *Oper. Lugd. Batav. 1741. p. 406.* quoque accusat. Nullo autem modo sæpius faciliusque quam suctione lactis nutricum scrofulas propagari credo, vel quod ipsæ hoc morbo nutrices laboraverint, vel saltem lac constitutioni infantis non appropriatum fuerit. Ceterum caussis occasionalibus allatis, abusus aquarum mineralium, balnearum calidorum, variorum vinorum ac cerevisiarum corruptarum, opiatorum ac diaphoreticorum remediorum, nec non immundities adjicienda quoque erunt.





## CAUSSA PROXIMA.

Scrofularum proximam causam nunc eruere conor; quid autem certi proferam in tanta virorum medicorum circa hanc rem dissensione, summaque obscuritate, qua hæc, ut omnium fere aliorum morborum, a labe hæreditaria proficiscentium, natura involvitur, fere nescio. Nullam itaque propriam ac novam theoriam hic tradere suscipiam, sed præcipuas tantum earum, quas alii vel ipsi excogitaverunt, vel jam excogitatas probarunt, referam. Lubens tamen omitto multorum opiniones seu potius deliramenta circa vitii scrofulosi naturam, quum eorum futilitas & ex sola imaginatione origo primo statim intuitu appareat. Quod ad veteres Graecos attinet HIPPOCRATES 6) ac GALENUS 7) a copiosa ac pituitosa modo acri in glandulas fluxione scrofularum originem repetunt. Ex recentioribus FAURE 8) chili vi-

6) Lib. de Glandulis. cap. 3. Ed. v. D. LINDEN.

7) Comment. ad Aphorism. HIPPOCR. III. 26.

8) Prix de l'Academ. de Chir. T. III.



sciditatem atque feminis commixtionem cum reliquis humoribus accusat; RUSSEL 9) humorum redundantium in glandulas affluentiam, partiumque affectarum imbecillitatem; MORTONUS 10) succi nutritii in glandulis accumulationem, causam proximam scrofularum esse sibi persuadent. Multis ac gravibus argumentis quoque nititur WISEMANNI 11) sententia, sero acescenti scrofularum originem tribuens.

BORDEU 12) in sententiam prioris concessit. Pueris ob explicationem complurium e partibus organicis parum absolutam, humores non rite parari ait & hinc acidum evolvi ponit, quod semper totam humorum massam vitiat magis minusve, & primaria scrofulæ causa est. SELLE 13) singularem quandam acrimo-

---

9) Observations on the effects of sea water &c. London 1770.

10) Phthiolog. Lib. III. cap. 1. Opp. p. 81.

11) vid. Treatise on Surgery Vol. I. b. 4. vel apud ALLEN Synopf. p. 445.

12) Prix de l'Acad. de Chir. T. III. p. 52 sq.

13) v. ejus. Medicin. Clinic.





niam eamque acidæ indolis, quæ propius ad rachiticam accedit, causam proximam esse statuit. CULLEN 14) peculiarem acrimoniam sui proprii generis quam scrofulosam vocat, accusat. LORRY 15) mucii coagululum in glandulas depositum culpatur. LIEUTAUD 16) multique alii vitium scrofulosum syphilidis sobolem & veluti modum esse existimant; quæ opinio uti jam a longo retro tempore multos habuit sectatores, ita nec hodie illis caret; esse enim argumenta, quibus illa defendi posset, nemo inficias facile ibit. Parentes enim venerei sæpe gignunt infantes scrofulosos. Symptomata quoque luis venereæ & scrofularum multa habent communia v. g. glandulas induratas, ulcera mali moris, ophthalmias &c. &c. Sæpe etiam mercurialia aliaque antivenerea in scrofulis profuisse dicuntur. Atamen exinde nullus adhuc contenderem scrofulas esse sobolem syphilidis, licet

14) Anfangsgr. der practisch. Arzneyw. T. IV. p. 190.

15) Vid. ejus Lib. de Morbis cutaneis. p. 140. Paris 1777.

16) Synopsis Praxeos Medicæ. Tom. I. p.






sæpius simul adsint. Venereum insuper  
malum demum XVto seculo innotesce-  
re cœpit, quum scrofulæ contra veter-  
rimis jam notæ fuerint medicis.

Nihilominus tamen valde attendendum  
ad confociationem aliarum acrimonia-  
rum cum scrofulosa, si hujus curationem  
prosperè succedere cupimus. Hoc re-  
spectu affirmarem potius, vitio scrofulo-  
so junctum esse subinde vel virus vario-  
losum, vel morbillosum, vel arthriticum  
vel & venereum; sed istud abhis oriri,  
ideoque existere scrofulas variolosas,  
morbillosas, arthriticas atque venereas,  
vix quidam contendet. In universum  
scrofulæ ex triplici fonte oriri videntur, a  
debilitate acrimoniam simul ac obstructio-  
nes glandularum post se ducente; hinc &  
omnia remedia quæ hucdum contra scro-  
fulas laudata sunt, vel roborant vel sol-  
vunt, vel humorum crasin corrigunt.  
Hic itaque potissimum interest, ut in sin-  
gulo quovis casu, indoles morbi, quæ  
maxime eminet, apte definiatur. Se-  
cundum hanc theoriam, illis in ægris,

pro-  
proxi-  
iam  
scro-  
muci  
ulpat.  
scrofu-  
odum  
a lon-  
tato-  
esse  
fendi  
aren-  
antes  
luis  
abent  
, ul-  
&c.  
tive-  
At-  
erem  
licet  
190.  
1777.







qui ulceribus scrofulosis laborant, morbi indoles potissimum ab acrimonia pendere videtur, atque hic præcipue antimonia- lia aliave similia eligenda, de quibus paulo inferius verba faciam. In aliis qui tumoribus glandularum frigidis laborant, & ubi inspissatio atque humores pitui- tosi potius suspicandi sunt, mercurius, ci- cuta &c. præcipue conveniunt. Ulti- mis denique, quorum scrofulæ a debili- tate pendent, conducit Chinæ cortex. His præmissis, certissime eventus in- fausti in medendo morbo scrofuloso, at- que rebellis sæpe ejus indoles inde pen- dere videntur, quod non in quovis pri- vo casu remedium eligatur, indoli mor- bi adaptatum, sed plerumque omnis generis sic dicta remedia antiscrofulo- sa, quod vulgo arridet promiscue, nul- loque facto discrimine ac ordine pro- pinentur.

Probe itaque consideratis sententiis de scrofularum natura, quas supra recen- sui, facile liquet quamlibet earum suis posse defendi argumentis, aliis vero con- velli.



velli. Unam tantum ex illis, neglectis ceteris amplecti posse valde dubito; optimeque illum agere arbitror, qui uni tantum scrofularum causæ proximæ inhærere desistit, & sic consilium eorum, qui in specifico aliquo contra scrofulas remedio inveniendò desudant utique inane esse habendum. Ceterum scrofula manifeste systematis universi morbus est, cum in temperamentis characteres alioquin distinctos habentibus occurrat. Si scrofula melancholicos semel licet a regula admodum universa non pauca defletere possint, sanguineos vigesies saltem occupare observatum est. Ex quo solo morbum cum toto habitu corporeo quam intime conjungi patet. Si porro eum ulterius persequi velis, quamnam præcipue corporis partem præ alia invadat, eam systema lymphaticum esse comperieris. Quum autem notiones nostræ circa systema lymphaticum hodie adhuc valde obscuræ sint, & cuinam usui inferviat magna ex parte ignoremus, hoc summum negotium & difficultatem no-


norbi  
ndere  
onia-  
uibus  
is qui  
rant,  
pitui-  
is, ci-  
Ulti-  
ebili-  
ortex.  
s in-  
, at-  
pen-  
pri-  
mor-  
omnis  
fulo-  
nul-  
pro-  
is de  
ecen-  
fuis  
con-  
velli.

M

S








bis faceffit. Neceffitas quidem exhalationis & abforptionis admodum manifefta & evidens eft; cur vero alium vafculorum ordinem natura paraverit, quibus humor lymphaticus alia abducitur, adeo ut non ad fanguinem protinus devehatur, fed prius chylo recenti admifceatur, nos omnino latet. Quum igitur nec lymphaticorum naturam, nec omnia quibus in œconomia naturali inferviant confilia perſpecta habeamus, quicquid dixerit, quænam fit ratio huius morbi lymphaticis ſingularis, explicatu difficillimum fit, oportet. Non improbabile quidem eft, glutinoſam humorum præcipue lymphæ intemperiem, nec non acrimoniam quandam peculiarem in ſcrofulis ſemper adefſe. Quodſi enim illa humorum diſpoſitio non ab acrimonia involuta quadam penderet, facilius citiuſque ab iſto malo corpus liberari poſſet; qualis vero fit hæc acrimonia, ne minima quidem ex parte conjicere poſſumus, nec utrum hæc pro vitio in hoc fluido ſponte orto, vel ab aliquo proprio ſtructuræ to-





tius corporis pendente, quod lympham ad hujusce modi conditionem proclivem efficiat, haberi debeat, affirmare audemus.

### PROGNOSIS.

Gradus mali in univcrsum prognoseos fundamentum exhibet. Scrofularum prognosis a magnitudine, vehementia, sede, statu diverso, duratione, aliisque morbi conditionibus, nec non a variis subjecti, in quod incurrit, circumstantiis, desumenda erit.

Si tumores scrofulosi blanda mansuetaque materia constituuntur, nec qualicunque accedente causa exasperantur, vel per se in ulcerationem proclives sunt, diu quin per totam vitam, absque alio quam quod pondere suo creant, incommodo gestari possunt. Mitiores sunt recentes, æquales, mobiles, rotundæ, coloris cum cute ejusdem, circumscriptæ, non maxime duræ, doloris & inflammationis expertes; pejoris notæ contra, quæ facile in magnum, erodens ac ser-






pens ulcus demigrant, fere carcinomatofum, venis eminentibus ac dolore pulfante.

Si morbus ante pubertatem invadit, sub id tempus decessurum esse sperare licet. In adultis haud dubie curatu difficillimus est morbus, quamque pertinax fit, vel hoc satis offendit, quod potestati illius mutationis salutaris, quæ systemati universo sub tempus pubertatis illata fit, non paruerit. Si ægrotus, pubertatem inter & annum vigesimum quintum, morbo non fuerit liberatus, rarissime convalescit. Majores ægrius quam minores curantur scrofulæ, simplices facilius quam inflammata, superficiales quam profundæ, in collo quam in aliis corporis partibus, pauciores quam plures, suspensæ quam insertæ & implicatæ: exulceratæ quoque generatim non exulceratis deteriores. Quo pluribus locis simul erumpunt scrofulæ, eo penitius malum insedit, eoque proinde gravius est; eandem ob causam concatenatæ, malæ. Tumores interni, quo plures ac nobilio-





res partes obsident, eo peiores, periculofissimi tamen, si suppuratione fuerint finiti. Hoc enim in casu nulla fere salutis spes affulget, quoniam exitus materiæ dari nequit, quæ tabem ocius citius morte finiendam inducit.

Periculosi sunt tumores, qui nervo aut insigniori venæ adhærent.

Quamdiu glandulæ scrofulosæ nondum cum tendineis partibus coalitæ sunt, sperare adhuc licet motu quodam intestino a natura excitato, eas resolutum iri.

Lunæ phasibus convenienter crescentes ac decrescientes tumores peiores esse dicuntur. Si obstructions glandularum in mulieribus ante annum quadragesimum non decefferint, tunc menstruis desinentibus, cum eadem signorum gravitate ac olim, repetere subinde solent. Quos morbus post annum quadragesimum invadit, ad sanitatem raro reducuntur, quoniam obstructions adeo inveteraverint, ut ægerrime possint removeri.





Levior est morbus; quem solæ cause procatharticæ absque hereditaria dispositione produxerunt, gravior contra ut plurimum, qui à vitio hereditario innato proficiscitur.

Febris qualiscunque scrofulis ex morbi vehementia accedens, mala, inprimis hecticam præ se ferens indolem.

Aliquando cessant scrofulæ, tinea erumpente, vel humiditate pone aures oborta, vel ichoris ex aure effluxu, succedente item hæmorrhagia narium, catarrho aut alvi profluvio.

Licet pertinacissimum malum sint scrofulæ, pauci tamen inde moriuntur, nisi ex cachexia ad quam vulgo perducunt.

Attamen revera nullus mihi videtur esse morbus chronicus, qui plus periculi quam scrofula pertinax ægrotantibus inferat, minusque medicamentis pareat.

Infelicissimorum, qui ea conflictantur, pestis & exitum est, Medicorum vero, vel potius artis, opprobrium.





VARIÆ SCROFULARUM  
THERAPIÆ.

Variæ supra relatæ opiniones multorum è celeberrimis medicis, de causa proxima scrofularum maximam difficultatem scrofuloso vitio medendi ab antiquissimis jam temporibus paruere, medicorumque ingenia mire torfere; unde ad multiplex remediorum genus quæritandum impulsu fuere. Et profecto apud hunc aliofve veteres auctores ingentem jam remediorum farraginem reperimus, quam ferior ætas ad hunc usque diem auxit; ita quidem, ut vix ullum existat remedium, quod non ad vincendas scrofulas adhibitum fuerit; quisquis enim fere medicus singulare ad morbum nostrum debellandum quæsit remedium. Minus tamen exoptato successu id factum esse, ipsa medicaminum multitudo jam innuit, quum, si unum alterumve expectationi respondisset, aliis detegendis vix operam navassent medici. Frequentia præterea atque pertinacia affectuum







scrofulosorum ad hunc usque diem observandæ, artis quoad hoc malum impotentiam, satis superque arguunt. Hæc itaque medicamenta, quorum quidem alia nostris temporibus in desuetudinem abierunt, alia a veteribus æque ac recentioribus laudantur, alia denique a medicis nostræ ætatis inventa sunt, quæque partim externe partim interne adhibenter, paucis hic commemorabo: quumque ex tribus naturæ regnis depromantur, animali, vegetabili ac minerali, hoc ipso ordine illa persequi liceat.

Prioris vero generis sunt: *Viperæ*, 17) *Millepedes* 18) *Spongiæ ustæ* 19). Hisce

17) v. AETIUS. T. III. L. XV.

18) L'art de connoitre & d'employer les médicamens par M. de FOURCROY. Paris 1785. T. II. p. 314. Millepedes cum cortice Chinæ laudat HUNCZOWSKY. v. RICHTERS Bibl. T. VII. p. 233. succum millepedum cum muce moschata vino commixtum & melle edulcoratum laudat MEAD in Monit. Practic. p. 131. Cap. XIV.

19) v. SPIELMANNI Mat. Med. Argent. 1784. p. 586. mane & vesperi ad scrup. unum cum aliquot granis Rhei & sero lactis eas laudat HUNCZOWSKY l. c.



anneſtere liceat *Alkali volatile* a Cel PEY-  
RILHE laudatum 20).

Plurima autem medicamenta regnum  
vegetabile ſubminiſtravit. Hucque præ-  
cipue pertinet *Cicuta*, quæ ſpecifica vir-  
tute ſcrofulis mederi dicitur. Commen-  
datur illa a TRECOURT 21), LEMOINE  
22, LYMANNO 23, ROSENSTEIN 24),  
FOTHERGILL 25), FARRIO 26), STOERCK?  
LORRY 27), UNZER 28), SELLE 29).

Aſt alii *cicutam* ambiguam ac incer-  
tam, alii nulla utilitate fuiſſe observa-  
runt.

20) Remede nouveau contre les mal. v. ou Eſſai ſur  
la vertu des Alkalis volatils. Paris 1774.

21) Mémoires de Chirurgie. p. 429 & ſeq.

22) Journal de Médecine Tom. XXXVI.

23) Fortſættn af. Prov. med. berættn. p. 266.

24) von den Kinderkrankheiten. p. 750.

25) Medical Obſerv. and Inquir. T. III. p. 229.

26) ibid. T. IV. p. 104.

27) l. c.

28) Mediciniſches Handbuch.

29) Medicina Clinica. Nec omittendus Cel. DEASE  
in Introduction to the Theorie and Practice of  
Surgery, qui optimos effectus inde vidit.





Laudatur porro *veratrum altrum* a  
 CELSO 30), *Aconitum* a STÖRCKIO  
 31), Unzer 32), *Belladonna* à DARLUC  
 33), *Nicotiana* a JOUBERTO 34), Impri-  
 mis vero commendatur CHINÆ CORTEX  
 a FORDICE 35), FOTHERGILL 36), WHY-  
 TE 37), BELL 38), TODE 39), CULLEN  
 40), UNZER 41), SELLE 42), *Campho-  
 ram* laudat VOGEL 43), *assam foetidam*

30) de re Medica. L. V. C. 28.

31) STÖRCKIUS de Hyosc. aconit. & stramon. Vind.  
 1772.

32) l. c.

33) Journal de Medecine.

34) SPIELMANN Mat. Med. p. 539.

35) Med. Obs. and. Inquir. T. I. p. 184.

36) ibid. T. II. p. 265.

37) On nervous disorders.

38) A Treatise on the Theory and management of  
 ulcers, with a Dissert. on white swellings of the  
 Joints &c. By B. Bell. Edinb. 1778.

39) v. ejus Bibl. T. I. p. 197.

40) Anfangsgründe der practischen Arzneyw. Lond.  
 1785.

41) l. c.

42) l. c.

43) de cognosc. & curand. morb. corp. hum. Lau-  
 sann. 1781.





PLENCK 44). *Digitalem purpuream* HALLER, PARKINSON & SCHIEMANN 45), *radicem gladioli lutei* ARMSTRONG 46) *Flammulam Jovis* s. *Clematidem erectam* L. MURRAY 47) *Ipecacuannham* LIEUTAUD 48). Nec spernenda sunt sequentia: *ononis spinosa* 49) *Fol. Tussilaginis Farfaræ* 50), *radix Rubiæ Tinctorum* 51), *Scrofulariæ* 52), *Radix Sarsaparillæ* 53), *Lignum Sassafras & Guajacum*

44) Mater. Chirurgic.

45) HALLER Hist. St. Helvet. n. 330. PARKINSON Theater of Plants. SCHIEMANN Diss. de Digitali purpurea. p. 154.

46) G. ARMSTRONG über die Kinder-Krankh. Regensb. 1786.

47) MURRAY App. Medic. T. III. p. 105.

48) LIEUTAUD Synopf. Med. Pract.

49) v. RICHTERS Chir. Bibl. T. VIII. St. 1. p. 99.

50) v. CULLEN l. c. T. IV. p. 205. & BALDINGERS Neu. Mag. 1785. Vol. VII. St. 1.


51) HUNCZOWSKY l. c. v. RICHTERS Bibl. T. VII. p. 233.

52) SPIELMANN Mat. Med. p. 580.

53) FOURCROY l. c.







54), *Glandes* 55). *Aurantiórum amaro-  
rum ac dulcium succo* ad aliquot uncias  
post prandium assumto, nihil præstantius  
esse in Scrofulis, lego in RICHTERI *Bibl.  
Chir.* 56). Nec male a multis laudantur  
antiscrobutica dicta ex tetradynamicarum  
classe deprompta remedia, *Cochlearia*,  
*Nasturtium aquaticum* &c.; præprimis  
autem succos recentes, resolventes, ama-  
ros ex plantis vernalibus, veluti *taraxa-  
co*, *cichorio* ac *betula* commendat CUL-  
LEN 57); porro *extractum graminis*, *La-  
ctuca virosæ* aut eorum decocta saturatif-  
sima, nec non *conservam trifolii fibrini*,  
*menthæ* atque *salviæ*.

Nec immerito a plurimis actoribus lau-  
datur *sapo*; inter quos præcipue eminent  
Cel. UNZER 58), atque FAURE 59).

---

54) VOGEL l. c.

55) SCHROEDER und MARX vom Gebrauche der  
Eicheln. &c.

56) T. VII. p. 233.

57) l. c.

58) l. c.

59) l. c.



Porro *Gummi ammoniacum*, *galbanum*,  
*bdellium* 60, nec non aromatica, ut: *cor-*  
*tex cinnanomi* 61).

*Oleum Tartari per deliquium* tanquam  
optimum remedium externum in scrofulis  
commemoravit Dr. GREGORY 62).

Medicamenta, quæ ex minerali regno  
peti solent contra scrofulas, sunt sequen-  
tia; *Calx viva* 63), *Pumex* cui autem  
hodie jure præfertur *magnesia*. Multi  
admodum commendant salina imprimis  
*Sal gemmæ*: Neque minus conducere di-  
citur *Sulphur* 64), & *vitriolum album* 65).  
Summis etiam laudibus efferuntur à mul-  
tis *Martialia*, *Mercurialia*, *Antimonialia*  
66), & præparata ex *plumbo* 67), *Tur-*

60) LIEUTAUD l. c.

61) SAUVAGES Nosol. Method.

62) v. WEBSTER System der practischen Arzneyk.  
Altenb. 1786. T. III. p. 114.

63) AGINETTA de Art. med. PLINII Hist. Nat. BAR-  
BETTE Chirurgia. MUSITANI Chirurgia.

64) AETIUS l. c.

65) v. WEBSTER l. c.

66) Sammlung für practische Aerzte. T. IV. p. 125  
& seq.

67) BELL l. c.





*petho minerali* optimo successu utitur Cel. DÜSSAUSIOR 68), quoniam emesis inde ciétur, quæ curæ summe favet.

Peculiarem compositionem ex aquila alba atque sulph. aurat. antim. aa. gr. dim. quam *pilulam rubram* vocat, in scrofulis laudat ROWLEY 69), æque ac *pulverem suam mineralem*, qui ex nitri & æthiopicis mineralis æquis partibus, & parum cinnabaris antimonii constat; porro quoque *æthiopem antimonialem* eundem in scopum adhibet. Pilularum rubrarum ter in die unam assumere jubet. Magna quoque utilitate sunt variæ *aquæ minerales*. Aquam marinam inprimis, externe ac interne commendavit RUSSEL 70) eique plurimi hodie assentiunt auctores & præcipue etiam CULLEN. Aqua vero marina, fortissime imprægnata & purissima,

---

68) v. RICHTER Bibl. Chir. T. VIII. St. 1. p. 74.

69) v. RICHTER Bibl. Ch. T. VI. St. 1. p. 52. ex libro *Seventy four cases with the manner of cure and the preparation of the remedies.*

70) RUSSEL de tabe glandulari & usu aquæ marinæ. Lond. 1770.




reperiri dicitur ad aliquam a littore distantiam circa horam, antequam æstus incipiat relabi. Aqua hoc modo comparata, & in utriculis rite inclusa & obturata, ad quamlibet distantiam absque ulla virtutum ejus jactura devehî potest. Igitur haud quaquam necessarium esse videtur, semper præcipere, ut ægroti ad oram maritimam sese conferant; & si quis ob rem familiarem nimis angustam nec ad oram maritimam commeare, nec aquam impensis modicis sibi comparare possit, aquam marinam arte factam, in locum veræ in usum substituere poterit, dum unam salis Glauberiani unciam & duas communis in tribus aquæ fontanæ libris dissolvat, & eodem modo ac aquam marinam sumat 71). Sed hæc æque ac marina aqua iis quantitatibus assidue sumatur, quæ alvum non nimis justo laxam teneant; purgatio enim quælibet immodica ægrotum debilitaret, & aquam simul rite absorberi prohiberet.

---

71) v. FOTHERLEY PANNEL, *Diff. Med. de Scrofula*.  
Edinb. 1775.

Cel.  
inde  
quila  
dim.  
fulis  
erem  
hio-  
rum  
quo-  
n in  
a ter  
quo-  
ales.  
ac  
que  
oræ-  
ari-  
na,  
74.  
ex  
cure  
ine.





Quantitas igitur ab effectibus, quos edet, semper pendeat. Aliis quatuor uncias tantum, aliis duas libras dare convenit; Cel. SABBATIER 72) omnes scrofulis laborantium cibos, sale marino condire jubet, atque externe tumoribus scrofulosis solutionem hujus salis imponit.

Multum quoque extollunt aquam calicis varii auctores 73), & specifico quasi modo scrofulis mederi asserit Cel. UNZER 74), lac addere jubet MEAD 75) sed magni simul faciunt medici balneum frigidum in scrofularum curatione; quod omnino remediis, quæ vigorem universo systemati reddere valent efficacissimis, merito annumeratur. Quanquam vero commoda maxima a balneo rite adhibito oriantur; quædam tamen cautelæ usum ejus spectantes non sunt negligendæ, ne plus

---

72) v. RICHTER Bibl. T. VII. p. 247.

73) FAURE Mémoire vid. Prix de l'Acad. de Chir. T. III.

74) l. c.

75) l. c.





plus noceat quam profit. Et quidem primo ne corpus debile initio nimis subito & ex toto in aquam immergatur, nec ægrotus nimis diu in aqua maneat, & quam primum ex ea emerfit, diligentissime tergeatur exsicceturque.

Maximam quoque symbolam confert ad curandas scrofulas exercitatio rite ac modice instituta, ita ut semper citra defatigationem fit; quo scopo præcipue navigatio in mari eminent, à multis medicis laudata.

Sunt etiam, qui electricos ictus in scrofulis laudant 76), ast HÆNIUS id nihil commodi in hoc morbo præstitisse refert 77). Quibusdam quoque magnetismus mineralis fuit laudatus 78), de cujus tamen vi in corpus humanum jure dubitatur. Aniles porro eorum fabulas, qui nuper


---

76) D. C. G. KÜHNS Geschichte der Med. und Physik. Electricität. Leipz. 1785. T. II. p. 245 & seq.

77) HÆNIUS Rat. Med. P. IV.

78) v. ANDRY und THOURET vom Gebrauche des Magnets in der Arzneykunst. Leipz. 1785. p. 78.





nugatoria garrulitate magnetismi animalis portenta crepuerunt, altiore hoc loco repetere non sustineo 79).


Mitto quoque sympathetica ista atque obscuræ virtutis auxilia, ad quæ superstitiosa plebs sæculis præcedentibus tanquam ad sacram anchoram confugit; credat qui velit regio attactu scrofulas fanari. Numerosa præterea agyrtarum cohors circa scrofulas præprimis quoque occupata fuit, vanisque suis arcanis credulorum ægrotorum spem lactavit. Sæculo præsentem nihil obstat, quo minus illis fidem derogemus, & plerasque curationum istarum celebrium pro tot fallaciis abominandis habere confiteamur.

Spem denique vanam alunt isti medici, qui specificum quoddam remedium contra vitium scrofulosum detegere annuntiantur, quod illud, uti mercurius syphilitidem domare valeat. Nuperrime adhuc Cel. SPOHR 80) hanc spem fovit, re-

79) v. *Recueil des pièces les plus intéressantes sur le Magnétisme animal.* 1784.

80) ap. BERTRANDI von den Geschwülsten. p. 362. not.






mediisq̄ue resolventibus, roborantibus, humores emendantibus, nonnisi effectus virus scrofulosi tolli docens, ejusque forsā subtractionem ac eliminationem facilitari. Sed vanos profecto & inanes dixerit quilibet, hodiernæ sanioris pathologiæ vitii scrofulosi haud ignarus, conatus omnes, nostri morbi antidotum reperiendi.

Non enim veluti syphilidis virus, causa universi morbi scrofulosa quædam acrimonia esse videtur, sed effectus potius atque necessaria sequela actionis organorum humorumque motus, per totam infantiam eorum, quibus vitata ejusmodi diathesis connata fuit. Quid igitur juvaret, ope specifici remedii scrofulosam domasse acritatem, quum nihilominus resistaret præternaturalis solidorum, inprimis vero systematis lymphatici constitutio, novæ generandæ acrimoniæ mox iterum ansam datura; nec ipse morbus, sed effectus modo morbi sublatus fuisset. Allevaret quidem malum, ejusque curationem acceleraret, tale remedium, scrofulosam acrimoniam







specifico modo extinguens ac delens; veluti & medicamina humores emendantia, purificantia, acrimoniam quodammodo corrigentia, vel saltem e corpore educentia, in medela morbi nostri, maximi omnino momenti sunt, antidoti tamen specifici adversus ipsum morbum nomen ipsi nullo modo competeret. Despero præterea unquam remedium inventum iri, quod certo atque constanter acrimoniam in corporibus scrofulosis obviam corrigere atque delere valeat.

### CURA SCROFULARUM.

#### *Indicationes quænam formandæ!*

Progrediamur jam ad scrofularum curam rationi suffultam exponendam, incipiendo ab indicationibus therapeuticis, quas cognita mali indoles suppeditat. Et principalis quidem foret indicatio, peculiarem illam systematis lymphatici præternaturalem constitutionem, qua morbi essentia contineri videtur, in oppositam naturalem transmutare. At vero quum



distincta perversæ illius solidorum diathe-  
seos singularis idea careamus, nec si illam  
cognitam prorsus ac perspectam habere-  
mus, remedium detegere possibile videat-  
ur, quod directe illam subvertere, inti-  
mamque quasi vasorum structuram im-  
mutare valeat; hinc potius ex præcipuo-  
rum morbi phænomenorum ratione, in-  
dicationes desumendæ erunt iisque præ-  
ternaturalibus corporis statibus, qui in  
hominibus scrofulosis sensibus manifesti  
sunt, auxilia accommodanda erunt.

Itaque ad sequentium fere indicatio-  
num normam medela scrofularum ador-  
nanda erit.

- 1) *Removendæ causæ materiales, quæ  
lympham spissarunt, morbi que evo-  
lutionem promoverunt, quæ vel conti-  
nuum malo alimentum subministrant,  
vel remediorum actionem impediunt,  
conturbant, depravant, vel quæ denique  
tanquam accessorium malum peculia-  
rem attentionem sibi vindicant, & se-  
cundariam indicationem præbent.*





Primo certe loco inter causas materiales nominari meretur primarum viarum colluvies, qua vix non omnes scrofulosi plus minusve scatent.

Harum itaque sordium exturbatio prima medentis cura esse debet; optimeque huic scopo prospiciunt emetica fortiora, quibus non solum saburra in ventriculo hærens eliminatur, sed & universum corpus concutitur, & ad infarctuum resolutionem aptum fit; præcipue cum cura proprie antiscrofulosa incipienda sit a remediis infarctus & obstructions referantibus.

Eum in finem Cel. DUSSAUSOIR 81) *Turpethum minerale* multum extollit; sed aliis quoque emeticis certe scopum suum quivis æque bene attinget.

Porro evacuantibus per alvum continuanda erit cura scrofularum præparatoria, & quidem per aliquot dies præmittenda sunt medicamina sordes intestinorum mobiliores reddentia v. g. mixtura

---

81) l. e.





salina cum pauco Tartaro emetico, alio-  
ve, i. e. syrupo emetico, v. gr. ipecacuanh.  
Tandem saburra plane eliminanda est for-  
tioris evacuantis ope vel Rad. Jalapp.  
ejusve præparatis vel Mercur. dulc. c.  
Rheo &c. Quum autem plerique scrô-  
fulosi vermibus quoque vexentur, opti-  
me evacuantibus citatis anthelmintica  
junguntur vel interponuntur, vel etiam  
eximie huic colluviei verminosæ accom-  
modatum videtur electuarium anthelmin-  
ticum STÖRCKII §2), purgans, viscidum  
resolvens, sicque vermes pellens; vel quod  
efficacius est, electuarium ex sem. San-  
ton. Valerian. Sal. ammon. Jalapp.  
Aethiop. mineral. & oxymel. squill. ad-  
dito insuper, si placet, syrupo gratiori  
v. c. rubi idæi. Si vero acidum inpr-  
mis urgeat, utendum simul erit absorben-  
tibus alcalinis aliisve antacidis, quæ vel  
evacuantibus præmitti, vel his cungi  
possunt, quo scopo imprimis recenseri

§2) v. ANT. STÖRCK. annus medicus p. 157. ℞. Sal.  
polychrest. pulv. Rad. Jalapp. aa. drachm. i. Conf.  
Nasturt. aquat. unc. iv. Syr. Fumar. unc. i.







merentur Solutio Salis Tart. vel Sapo Venet. in Tinct. Rhei connubio; vel pulv. ex magnes. alba & Rhabarb. &c.

Hæc medicamenta primariæ indicationi prospicientes, pro variis rerum circumstantiis ac urgente necessitate plus minusve repeti possunt. Sed jam expurgatis primis viis dispiciendum quoque est, num venæsectio requiratur, quam plus minusve reiteratam inter remedia adversus scrofulas commemorant varii auctores. Attamen caute mercandum esse circa sanguinis missionem præcipue in junioribus, morbo debilitatis decumbentibus, ubi fere nunquam necessariam, tantum non semper noxiam esse patet. Interim tamen admitti, quin necessaria esse potest phlebotomia in adultioribus qui plethora vera laborant, nec inertis pituita corpus sæctum habent, & præcipue ubi acrimonia scrofulosa nobiliora viscera petiit, atque dispositionem inflammatoriam creavit, vel si consueti fluxus sanguinei suppressi glandularum tumescentiæ ansam dedere.





2) *Attenuandi, solvendi, spissi coagulatique humores; glandularum infarctus expediendi. Remediis hinc resolventibus, fundentibus, deobstruentibus oppugnandæ scrofulæ erunt.*

Hujus generis remediorum jam in antecedentibus satis numerosum obtuli catalogum, ex quo pro re nata delectus optime fieri potest. Quum autem apud varios auctores diversæ iterum occurrant, istorum remediorum compositiones, quæ huic vel isti magis arrident, ideo quasdam hic addere fas sit. Sic Pilulas ex Merc. dulci, Kerm. mineral. aa. gr. j. Alōes Succotr. gr. iij. & Syr. balsam. q. s. laudat MEAD. 83). Hepar Sulphuris ad gr. v - x. ter de die CULLEN 84), nec non æthiopem antimoniam, Spiritum Mindereri, Extractum Lætuçæ virosæ dr. j. cum Tartar. solub. idem commendat. Mercur. dulc. & Sulph. aurat. antimon. aa. gr. j. fero fumendum

83) l. c.

84) l. c.





UNZER 85) Antimon. solv. de ROTROU,  
LORRY habent 86). ꝛ. Sapon. offic. dr. j.  
pulv. spong. ust dr. dim. rad. Scrofular.  
Scrup. j. Limatur Mart. Scr. j. f. c. Syr.  
quinque rad. aperient. bolus. S. Suma-  
tur quotidie unus; secundum FAURE 87)  
Hæc addidisse sufficiant; licet forsan mul-  
tæ adhuc supersint, quæ magnam famam  
apud diversos medicos acquisiverunt.

3) *Acrimonia peculiaris, humoribus,  
præsertim lymphæ in hærens, (siqui-  
dem fieri possit) corrigenda, emen-  
danda; vel, uti & tenax glandulas  
infarciens materies deliquantibus re-  
mediis sensim resoluta, quibus cun-  
que viis excretoriis è corpore elimi-  
nanda.*

Sed tale remedium, quod peculiarem  
istam acrimoniam scrofulosam in lymphæ  
hærentem corrigere valeat, jam dudum

---

85) l. c.

86) l. c.

87) l. c.





piis votis medicorum annumerabatur, & licet nonnulli hunc nodum solviffe sibi gratulati sint, eventus tamen semper evicit eos spe sua frustratos fuiffe, oleumque & operam perdidiffe. Ideo ad illud potius medicamenti genus respiciendum, quo materies ista tenax glandulas infarciens, sensim soluta ac liquata, nunc per varia corporis colatoria ex eo eliminetur. Horum medicamentorum maximam seriem indicat materia medica, in classibus variorum evacuantium, de quibus partim jam supra monui, partim & nunc quædam alia addere acceptum Lectiori puto.

Sic MEAD 88) ad movendam urinam in Scrofulis sequens laudat. ℞. Spong. combust. Scrup. j. Sal. diuret. Tartar. Vitriolat. Nitri Corallin. Sacchar. alb. aa. Scrup. dim. m. d. rep. XL. ad totid Ch. dist. S. bis de die fumend.

Diaphoretica hic quoque valde conducunt, præcipue, ubi scrofulæ a mor-

---

88) l. c.





bis cutaneis retropulsis quod sæpe fit, oriri videntur; an eum in finem CULLEN 89) aquam picis, atque hepar sulphuris tanquam rariora commendaverit?

4) *Denique roborantibus corpori prospiciendum quo solidorum, imprimis quoque systematis lymphatici vigor atque tonus restituatur, augeatur, illaque hinc nocivis impressionibus fortius resistent, talesque oscillationes concipiant, quæ morbosum characterem paulatim delere valeant.*


Quando priorem indicationem, quæ spissos humores solvere ac diluere jubet, obtinuerimus, ultima denique emendationem debilitatis solidorum exigit. Vel quando laxitas ac debilitas solidorum prædominatur, nec infarctus frequentes & confirmati adsunt, roborantia statim ab initio morbi exhibita, omnem paginam absolvunt, quibus haud raro incipiens cachexiæ scrofulosæ evolutio prohiberi potest. Idque præcipue Cortex Peruvianus debito modo exhibitus eximie

89) l. c.



efficit. Quum autem scrofulæ morbum, ex solidorum & fluidorum labe, mixtum constituent, atque ideo hæ duæ modo nominatæ indicationes inter se necessario junctæ esse debeant, ideo necessarium omnino est, ut remedia utrinque militantia inveniantur, resolventia videlicet & roborantia simul exhibeantur. Hæc autem cum sibi quodammodo contraria sint, ea methodus in plerisque casibus servanda, ut præmittantur resolventia, deobstruentia, his interpolentur evacuantia, & tum demum propinentur roborantia, initio solventibus junctæ, dein sola. Tantum tamen abest, ut diversa remediorum, quæ in scrofuloso morbo indicantur, genera sibi prorsus contradicant, ut potius in plurimis casibus junctim propinata egregium usum exferant. Plura talia remedia ad scrofulas laudantur, quæ roborantem ac solventem vim simul custodiunt qualis est PLENKIO laudata radix Gentianæ, quam nunc spiritui vini & sali alcalino nubere jubent; alia re-






solvunt simulque excretiones promovent; alia demum effectum quendam exserunt, qui inter roborantem, resolventem & evacuantem mixtus videtur. Denique impossibile fere erit, omnes casuum varietates, iisque accommodandam medendi rationem, adæquate determinare, quum in quolibet fere subjecto alia sit morbi facies: Specialissimam hinc medendi methodum, practicum cujusvis medici judicium suggerere debet.

Hæ itaque indicationes ad curationem morbi universalis, præsertim *internam* spectant.

#### APPLICATIONES EXTERNÆ.

In illo scrofularum stadio, ubi jam luculentiora morbi signa adsunt, justaque ejus dignosis instrui potest, ubi tumidæ colli glandulæ fiunt numerosiores, concatenatæ, mole quoque augentur & duritiæ, ubi tamen adhuc dum absque irritatione stagnant in glandulis humores tenaces frigidi, cachectici, in illo dico stadio morbi urget, ut simul cum congruis reme-






diis internis externæ applicationes quoque in usum vocentur quibus tenaces isti humores stagnantes soluti, discutiantur. Hunc in finem ad numerosa applicationum genera progressum est a mentibus. In his vero eminent sapo vernerus in aqua calcis solutus, secundum FAURE; emplastrum mercuriale, de cicuta, & vapores aceti, secundum UNZER, saturnina secundum SELLE & CULLEN. Spiritus Mindereri secundum CULLEN, cataplasmata ex herba Cicutæ; solutio aluminis in aqua; applicatio aquæ frigidæ ipsius, pluraque alia a diversis laudantur; uti spiritus vini cum sale tartari ac radice gentianæ.

Quamquam vero aliqua horum remedium ad humores resolvendos nonnunquam egregie contulisse visa sint, aliqua tamen eorum sunt, cum quibus caute mercandum est; veluti Saturnina, Cicuta, ne humores in tumoribus contenti exsiccentur, materiesque remaneat nulla arte solvenda; vel tumor antea indolens nunc irriteretur, inflammetur, atque exulceretur.





In isto denique morbi stadio, ubi irri-  
tamentum evolutum tandem in actum  
ducitur, & glandulæ tumidæ dolent, in-  
flammanur, exulcerantur. Humor ef-  
fluens initio quidem puris speciem refert,  
haud tamen bene coctus est, sed tenuior,  
albisque crassamentulis mistus, vel &  
lentus ac grumofus. Materies quotidie  
minus purulenta evadit, sed tenuis,  
aquosa, ichorosa cernitur.

Serum quasi mucosum, pessime tandem  
olens sistit, parvis albis frustulis, lactis coa-  
gulum æmulantibus remixtum. Dum hæc  
in tumoris cavo fiunt, basis interim  
imperfecte sæpe suppurat, dura ac reni-  
tens manet; unde ulcera ægre sanabilia,  
& sæpe fistulosa originem ducunt, impi-  
mis quum in acervum collectarum glan-  
dularum quædam sæpe exulcerentur, aliis  
integris permanentibus. Quippe glandu-  
læ femicorruptæ, vel dum interea ulcus  
textum cellulofum & partes suppositas de-  
pascit, intactæ remanentes, consolidatio-  
nem impediunt, quæ vix perfici potest,  
nisi vel natura vel arte, escharoticis puta  
&



& causticis, corruptæ glandulæ penitus destruantur. Ceterum margines ulcerum scrofulosorum flaccidæ, pallidæ, tumidiusculæ ac glabræ sunt raroque callosæ fiunt: Parum plerumque dolent ulcera, nec valde diffunduntur aut profundiora fiunt; nec tamen quoque margines sibi approximantur, quasi cicatricem formaturæ. Ita comparata sæpe diu permanent ulcera scrofulosa, neque ad sanationem neque ad pejorem statum inclinantia, largusque in quibusdam casibus ichoris effluxus est. Alias cito consolidantur fœda cicatrice, in aliis vero corporis partibus iterum tumores oriuntur, quos nova ulcera excipiunt.

Quædam ulcera æstate saltem aliquammodo sanescunt, & sequenti vere recrudescunt, vel quovis vere per aliquos continuos annos novi tumores & ulcera oriuntur. Ita pergens morbus quatuor plerumque vel quinque lapsis annis sponte ita sanatus est, ut priora ulcera consolidata sint, nec amplius nova sese ostendant, Rursus itaque tandem dispa-

D






ret morbus, residuis tantummodo cicatricibus foedis, pallidis, glabris, passim tamen quoque rugosis, per totam vitam persistentibus, vel foveis profundis ingentibus cartilaginosis, cicatricibus pro parte impletis. En ulcerum scrofulosorum brevem historiam; nunc aliqua remedia addam quibus illa depurare & ad sanationem perducere tentant. Suppuratis scrofulis fomenti loco cicutam inferire ait CULLEN 90), ulceribusque depurandis alumen ustum cum unguento quodam demulcente laudat; præcipitarum rubrum alii, præparata e cupro, ac saccharum saturni iterum alii laudant. Sed optimum esse simplicissimum istud remedium, aquam fontanam adjecta parvula quantitate aquæ marinæ vel ejus salis, qua ulcera eluantur, optimi medici testantur; namque vel linimentum volatile hic parum proficere experientia docet. Multum denique conferre ad ulcera consolidanda compressionem externam, quoniam talia ulcera semper tu-

---

90) l. c.





more leucophlegmatico circumdata esse  
asserit BELL 91).

Sed ne dissertationis ac propofiti limites transgrediar, unicum adhuc monebo, quod curationi scrofularum per longum tempus fit infistendum, atque tum medico tum ægroto multa patientia opus fit, si in scrofulis aliquid proficere velimus. Maximam denique huc conferre symbollam, *diætam*, morbi indoli maxime accommodatam, quæ in vario morbi studio secundum indicationes, quas hic iterum medici practici ingenium suggerere debet, aliter atque aliter iterum instrui debet.

---

91) l. c.









ULB Halle

3

005 361 710



Vb 78









DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

# SCROFULIS

QUAM

ILLUST

GRA

D. M

JOHAN

Typis L

